Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus theol. de actibus humanis - Cod. Ettenheim-Münster 302

[S.l.], 1697

Quaestio 2da

urn:nbn:de:bsz:31-131009

Visual Library

Obiicies 2do pro secunda sententia, sicut se habet vitalis actus ad non vitalem, ita se habet actus moralis ad non moralem: sed actus vitalis est entitas quaedam realis distincta a non vitali, ergo similiter distincta actus moralis ab actu non morali.

Resp. negando paritatem maioris, quia vitalis actus, et non vitalis a diversis potentiis proficiscuntur, et ipsi toto genere differunt, et ideo mirum non est, vitali actui accedere aliquam entitatem realem naturae, quae deest actui non vitali: at vero actus liber et moralis voluntatis, et actus eiusdem non moralis, non habent diversum principium effectivum, et ipsi non tanto discrimine differunt: neque non necesse est, ut actus eiusdem potentiae solum respectu ad suam potentiam, plus differunt, quam numero et distinctione quadam accidentali. Sequitur quid sit moralis bonitas obiectiva seu fundamentalis.

Quaestio 2da
Quid sit moralis bonitas obiectiva seu fundamentalis.

Notandum est bonitatem obiecti priorem esse bonitate actus, non enim ideo obiectum bonum, quod intellectus de eo recte judicet, et voluntas illud recte appetat, sed e contra, ideo voluntas recta est, et judicium rectum de eo fertur, quia obiectum se bonum et honestum est; neque non boni mores faciunt obiectum honestum, sed obiectum honestum reddit honestos mores. Idem dicas, servata proportione de obiecto pravo. Quaeritur ergo hic, quid sit bonitas obiectiva, sive ut alii vocant

quenam sit prima regula morum actionum? sive unde obiectum moralitatem sit bonum vel malum bonitate, vel malitia obiectiva, quia divinus actus bonos vel malos similabis ex obiecto.

Conclusio prima bonitas obiectiva non est sumenda ex conformitate aut difformitate ad legem divinam praecipientem; ita communis [illegible] contra Scotum et alios. Ratio est prima, quia ante actum voluntatem Dei praecipientem, et ante actum judicium ipsius de moralitate obiectiva jam in quibusdam obiectis invenitur aliqua bonitas, vel malitia radicalis. Hinc S. Augustinus: Adulterium inquit non est malum, quia prohibitum, sed prohibitum, quia malum. Prob. 2do quia Deus non potest absolute prohibere aliquid, et tamen non potest mentiri, jurare falso, se odio habere etc. ergo. — 2da rao

Conclusio 2da bonitas et malitia obiectiva seu radicalis et formalis consistit in conformitate et difformitate ad regulam morum sive ad naturam rationalem, proxime quidem ad creatam, mediate vero et principaliter ad increatam. Suarez de actib. humanis tractatu 3. disp. 2. sect. 2. etc.
Prob. quia peccatum est malum respectivum in genere moris sive malum alteri est se et naturae suae, inducens naturam rationalem, ergo sicut in ea physica malitia respectiva frigoris in ordine ad ignem consistit in disconvenientia talis formae, cum tali obiecto, et quamvis ignis cognosceret, frigus esse sibi malum, non tamen per hanc cognitionem frigus malum constitueretur; ita et in ordinem et respectum ad tale subiectum, ita et malitia obiectiva [illegible] consistit in difformitate cum natura rationali, quia tale actus disconveniens est, non quod intellectus sive recta ratio hanc disconvenientiam cognoscat. — Prob. conclusio.

Observandum: naturam rationalem sive intellectualem aliam esse particularem v.g. naturam Petri, Pauli etc. aliam universalem, sive communem, non communitate logica per mentis abstractionem, sed communitate physica, quae consistit in aggregato plurium naturarum particularium, constituentium aliquam rem publicam. Aliam denique esse naturam unicam per superioritatem sive excellentiam, cuiusmodi est natura divina sive Deus.

Quarto q° dr. obiectivam bonitatem consistere in conformitate cum natura rationali, id intelligendum est, in de natura particulari, ut contraria natura viti.

Arguitur 1mo est contra naturam rationalem, est sprium aliquorum peccatorum v. g. sodomiae &c. ergo falsum est, omne peccatum esse contra naturam rationalem. R. nego consequentiam; quia etsi quaedam peccata speciali quadam ratione dicantur esse contra naturam, quia sunt contra finem ab illa intentum: hoc tamen non tollit, quin tale & alia absolute peccata alio modo omnibus communi contra naturam sint, quatenus illi sunt, tale disconvenientia & discordia.

Arguitur 2do natura rationalis est creata defectibilis, ergo non potest 1ma esse regula humanarum actionum, quae indefectibilis esse debet, & consequenter bonitas & malitia obiectiva non definitur a convenientia & disconvenientia ad naturam rationalem. R. distinguo antecedens: natura rationalis creata est defectibilis sensu diviso ab ipsa, concedo; in sensu composito cum connexione praedictorum, nego antecedens: ergo natura rationalis creata non potest esse sibi 1ma regula distinguo consequens, ordine causalitatis, concedo consequentiam: in ordine ad commensurandam congruentiam actuum, si natura rationalis sensu composito sumatur, nego consequentiam. Sicut enim cognoscimus non solum est 1ma, sed vera regula ad commensurandam convenientiam caloris, & disconvenientiam frigoris cum isto, ita rationalis natura creata ad mensurandam congruentiam & convenientiam seu incongruentiam & disconvenientiam actuum suorum moralium cum eadem natura: neque natura divina potest praedicto modo esse regula actuum humanorum: multa enim Deo licent, quae homo sine culpa non faceret, ac proinde multa sunt convenientia & congruentia naturae divinae, quae humanae naturae sunt incongruentia & disconvenientia, interim tamen ex aliis titulis competit naturae divinae esse ab 1mam regulam humanarum actionum. 1ma ordine causalitatis, quia est causa omnium regularum. 2do est 1ma regula quatenus in regula creata contenta,